



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An ex solutione annui censûs Papæ facta privilegium exemptionis ab ordinario probetur, & quibus modis, vel verbis?


[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

cui privilegium tale subservit) quæ non minus in hac privilegiatorum explicatione, quam in interpretatione legum observari debet, nisi grave tertii præjudicium aliter explicari jubeat, aut ex aliis circumstantiis de alia mente concedentis colligi aliquid possit, aut si juxta proprietatem suam verba sumerentur, privilegium redderetur inutile, quod fieri non debet. Vide plura in *Lib. I. Decret. De legum interpret.*

§. IV.

De extensione privilegiorum.

Etiam hæc materia ex dictis de extensione legum colligi potest, cum utrobique eadem ratio, & auctoritas pugnet. Et primò quidem extensio non est faciendâ ab una persona, cui concessum est privilegium, ad aliam personam non expressam *cap. Sanè 9. h. t.* (neque enim in exemplum pro omnibus trahi debet, quod uni v. g. ex speciali ratione, aut favore concessam est) & hæc nomine filiorum in privilegiis personalibus non intelliguntur nepotes, & quod concessum filio, non debet extendi ad filiam, nisi aliè de mente concedentis constiterit. Neque secundò extendendum est privilegium propter paritatem rationis ad non expressam, quia ratio privilegij non tam in ratione, quam in mente concedentis radicatur, v. si non tam extenderetur privilegium, quam explicaretur, hoc contineri in illo, velut accessorium in principali.



S E C T I O II.

De privilegiis in specie, & imprimis de privilegiis exemptionis à jurisdictione ordinarii.

§. I.

An ex solutione annui census Papæ facta privilegium exemptionis ab ordinario probetur, & quibus modis, vel verbis?

Respondetur, ex solutione tali non probari exemptionem à jurisdictione ordinarii, nisi appareat, quòd in signum immediatè subjectionis, ac perceptæ libertatis, non autem in signum tantùm perceptæ protectionis census talis solvatur, prout sumitur ex *cap. Recipimus 2. h. t. & ex cap. Ex parte 18. eadem.* sicuti enim census solutio plura significare potest, (subjectiorem scilicet, vel exemptionem, vel protectionem) (quæ etiam sine exemptione ab ordinarii potestate haberi potest, cum nullam dicat ex se superioritatem) ita quid significet, aliunde probari debet. Quibus autem modis, formis, clausulis, vel verbis privilegium exemptionis, à jurisdictione ordinarii probetur, declaratur in *cap. Si Papa 10. h. t. in 6.* quòd videri potest. Neque tamen per formulas tantùm in hoc *cap. Alatas* exemptio probatur, sed etiam per alias non expressas probari ea potest, modò constet de mente Papæ: Sitamen Ecclesiæ aliqua in Diocesi existens suo

Kkk kk 2

ord.

ordinatio longo tempore censum annuum persolvit, merito presumitur, quod fiat hac solutio in signum subjectionis ob fundatam in jure intentionem Episcopi, in omnes Ecclesias suæ Diocesis.

§. II.

An per privilegium concessum alicui monasterio, ut fructus Ecclesia sibi subiecta in suos usus possit convertere, Ecclesia illa censetur eximi à jurisdictione ordinariorum?

Respondetur negativè, prout sumitur ex cap. Pastoralis 19. h. t. & hinc colligitur, sicuti non possunt religiosi tales fructus Ecclesiarum sibi subiectarum in proprios usus propriâ auctoritate convertere, sine licentia Papæ, vel saltem Episcopi, & consentientis Capituli, ex justa causa, ita etiam si hæc licentia circa fructus tales illis concedatur, ut tamen possessionem, & perceptionem, ac administrationem talium fructuum acquirat, indigebit auctoritate ordinarii, immittentis in possessionem.

§. III.

Proponuntur alia quæstiones quædam circa privilegia exemptionis à jurisdictione ordinariorum.

Primò satis certum est, eum qui exemptus est respectu certi loci, vel certæ rei, non ideo etiam exemptum esse respectu alterius loci, vel rei, uti habetur ex cap. Cum Capella 16. h. t. tale enim privilegium respectu certi loci aut

rei concessum reale potius, quam personale censendum est, restrictio scilicet ad certum locum, &c. Secundò tam certum est, quod per exemptionem à jurisdictione concessam monasterio, non censetur etiam Capellæ exemptæ, sive Ecclesiæ eodem monasterio subiectæ (nisi specialiter etiam hæc exemptæ essent, vel essent per jure unitæ monasterio) cum privilegio exemptionis, odiosum ordinariis, cædendum non sit: & quævis pars commune juris effectum, de concessione illius sit iudicium, & eodem jure certis debeant totum, & pars, non proinde tamen hoc in odiosis, & exorbitantibus, quæ non sunt necessariò cunctis de iure parabilia. Et hinc fieri potest, ut Prælati, qui ratione exempti monasterii quædam non agnoscat Episcopus, eorum tamen ut legitimo iudice hoc cognoscere debeat, si ratione Capellæ exemptæ conveniatur. Tertiò satis certum videtur, quod exempta Ecclesia, quæ collegium habet, exempti etiam conventus Prælati sive Abbas, Canonici, Monachi, & alij ministri Ecclesiæ talis, non tantum Presbyteri, qui curam Parochianorum habet, quoad ea talium parochiarum curam pertinent; nec Parochiani ipsi censentur exempti cap. presump. q. 1. h. t. in 6 Exemptis tamen licentia ut Clericis talis Ecclesiæ, non censetur exempta Ecclesia, prout dicitur cap. habetur, illud quidem, quia sub iudicio Ecclesiæ hi tales veniant, hoc autem à odiosam ordinariorum potestati exemptionem restringendam.